



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die XXIV. Novembris. In Festo S. Joannis à Cruce Confess.

[S.l.], [ca. 1770]

Lectio VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62753)

in verbi Dei prædicatione, tum in Sacramentorum administratione fuit assiduus. Hinc tot meritis auctus, strictiorisque disciplinæ promovendæ ardore vehementer accensus, Sanctæ Theresiæ comes divinitus datus est, ut, quem ipsa inter Sorores primævam Carmeli Ordinis observantiam instauraverat, eandem & inter Fratres, Joanne adjutore, restitueret. Innumeros itaque unà cum Dei Famula in divino opere promovendo perpessus labores, Cænobia, quæ ejusdem Sanctæ Virginis curâ per totam Hispaniam erecta fuerant, nullis vitæ incommodis, & periculis territus, singula perlustravit, in quibus, aliisque quamplurimis ejus operâ erectis, restauratam observantiam propagando, verbo, & exemplo firmavit: ut meritò primus post Sanctam Theresiam Carmelitarum Excalceatorum Ordinis Professor, & Parens habeatur. *v. Amavit.*

Lectio VI.

Virginitatem perpetuò coluit, impudentesque mulieres ejus pudicitiaë infidiari conantes non modò repulit, sed etiam Christo lucrificavit. In divinis explicandis arcanis æquè ac Sancta Theresia, Apostolicæ Sedis judicio, divinitus instructus, libros de mysticâ Theologiâ cælesti sapientiâ refertos conscripsit. Semel interrogatus à Christo, quid præ-

præmii pro tot laboribus posceret, respondit: Domine, pati, & contemni pro te. Imperio in dæmones, quos è corporibus sæpè fugabat, discretione spirituum, prophetiæ dono, miraculorum gloriâ celebratissimus, eâ semper fuit humilitate, ut sæpiùs à Domino flagitaverit, eo loco mori, ubi omnibus esset ignotus. Voti compos factus, Ubedæ diro morbo, & in crure quinque plagis sanie manantibus, ad implendum patendi desiderium, constantissimè toleratis, Ecclesiæ Sacramentis piè, sanctèque susceptis, in Christi Crucifixi amplexu, quem semper in corde, atque ore habuerat, post illa verba: In manus tuas commendo spiritum meum, obdormivit in Domino, die, & hora à se prædictis, anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo primo, ætatis quadragesimo nono. Migrantem ejus animam splendidissimus ignis globus excepit; corpus verò suavissimum odorem spiravit, quod etiamnum incorruptum Segobiæ honorificè colitur. Eum plurimè ante, & post obitum fulgentem signis Benedictus decimus tertius Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

ꝛ. *Iste homo.* IN III. NOCTURNO.

Homil. S. Gregorii Papæ in Evang. Sint lumbi. De Com. Conf. non Pontif. Nona Lect. S. Chryfogoni Mart. & com. ejusd. in Laud. & Missa: Os just. de eod. Com.